



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

8. De Conjugio Leprosorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

Utrum autem hoc impedimentum contrahatur etiam ab ignorantibus invincibiliter, colligi poterit ex iis, quae inferius ad Tit. de Consanguinitate & affinitate. §. 2. n. 17. dicuntur.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosarum.

Morbus contagiosus scilicet lepra, morbus gallicus &c. ex magis communi DD. sententia est causa separationis quoad cohabitationem; si iudicio Medicorum probabile corporis periculum alteri coniugi imminet: quia naturalis aequitas dicitur, ne matrimonii obligatio eo usque extendatur contra verisimilem intentionem contrahentium. Videtur quidem adversari difficultis text. in c. 2. h. tit. ubi Pontif. firmiter inquit, sive uxorem leprosam sive conjugem, & in finibus a sano carnale debetum exigit, generaliter procepto Apostoli quod exigitur est servendum, cuius procepti nulla in hac casu exceptio invenitur. Verum, ut interpretatione legum & Canonum aequitas rigori praeferatur. l. p. c. 1. §. C. de Judic. potest hic text. intelligi cum Barb. in d. c. 2. quando iudicio Medicorum non est valde notabile periculum, sicut ordinariè in familia admittente virum morbosum contingere aiunt: vel de casu, quo morbus ante matrimonium non fuit ignoratus, & proinde eo non obstante coniuges, se ad cohabitationem obligasse tenentur: nam leprosis non est interdictionem matrimonium contrahere, & licet nemo sit dominus membrorum suorum, l. liber homo. 13. ff. ad Leg. Aquil. ideoque ad actuale membri amissionem se nequeat obligare, ad periculum tamen corporale se obligare quandoque non est prohibitum, ut

in militibus, nautis, aliisque similibus quotidianum est.

TITULUS IX.

De Conjugio Servorum.

SUMMARIA.

1. Servi, qui dicantur.
2. Servitus an etiam hodie inter Christianos locum habeat.
3. Homines proprii qui dicantur.
4. Servi an & qualiter possint Matrimonium contrahere.
5. Error in qualitate servili cit magis irritare possit Matrimonium, quam in alia.

Servorum appellatione in iure non veniunt famuli nostri temporis, qui nobis pro certa mercede vel gratis interserviunt, & verè liberi sunt, sed illi, qui ex iure gentium, vel civili alieno dominio contra naturalem libertatem subiciuntur, ita ut ad instar aliarum rerum nostri patrimonii possideri, vendi & alienari possunt, & si olim habebantur, qui in bello capti erant: unde & mancipia quasi manu capti dicebantur, & qui deinde ex huiusmodi captis ancillis nascebantur, licet ex congressu hominis liberi, etenim conditionem suae matris & statum servilem induebant, ut prolixè tradunt Interpretes in tit. Instit. de Jure Personarum. Hodiè verò inter Christianos generali consuetudine servitus sublata est, ita ut capti in bello inter Christianos gesto non fiant propriè capientium servi; tum ob dignitatem Christiani Nominis & honorem ac memoriam libertatis, quâ nos Christus donavit: tum quòd bella inter Christianos Principes, adeoque inter cives Romanos gesta potius bella intestina censeri debeant, in quibus capti nec olim servi efficiebantur. In bello tamen, quòd contra Turcas & Barbaros geritur, adhuc hodiè servituti locus est, ad tamen inter jus antiquum & hodiernum differentia constituta, quòd olim Romani